

36 COMMENT. IN I. CAP. SPHÆRAE

APPELLAT Horizontem sphære oblique artificialē, eam forte ob causam, quod admodum variabilis existat. Horizon etenim sphære recte, cum transeat per utrumq; mundi polum, videtur per se, & quodammodo naturaliter sphera diuidere: Nam hoc paſto sortitur sphæra directum & propriū situm, neq; talis Horizon vng variari potest, vt aliqui habere possint Horizonem magis rectum, alijs minus rectum: At vero in Horizonte sphære oblique, cum non transeat per polos mundi, sed supra ipsum semper alter attollatur, alter sub ipso deprimatur, oblique videtur collocari sphæra, & non naturaliter. Accedit etiam, quod Horizon sphære oblique pro arbitrio, & voluntate hominum habitantium in terra variabilis propemodum infinitis modis existit; Quo enim magis ad polum quis accedit, eo magis obliquum Horizontem habeat necesse est. Quare non immerito Horizon oblique sphæra quodammodo artificialis appellari potest, vt distinguatur contra Horizontem sphære recte, qui quasi natura is est ipsi sphære; Cu.n. in ipso veterq; mundi polus existat, videtur naturaliter in ipsi sphæra moueri.

OBLIQVAM Sphærā alijs definiunt dicentes, eam esse, in qua alter polarum mudi supra Horizontem eleuatus eminet, alter infra Horizontem decumbit & subsedit: Vel, in qua Aequinoctialis cum Horizonte angulos efficit, & conformat obliquos, obtusum quidem eum, qui polum exaltatum respicit, acutum vero, qui ad polum vergit occultum. Sphæram obliquam natī sunt omnes inhabitantes Europam, vt sunt Hispani, Galli, Itali, Germani, Græci, Poloni, & maior pars Africæ, & Indie occidentalis, nec non tota Asia.

NON SOLVM Sphæra, verum etiam orbis, seu Mundus; Itē Horizon, Finiensue, seu Finitor ab auctōribus dici solet rectus & obliquus. Solent nāq; dicere, Germanos, Italos, Gallos, & Hispanos habitare in orbe obliquo: Par ratione Horizontem, seu Finitorem, mundum, vel sphæram illos habere obliquam, &c.

QVOD si quis interroget, qualem sphæram dicantur habere ij, qui direcēt sub polis habitant; respondendum erit, eos ex auctōris sententia habere sphæram obliquam. Nam licet eorum Horizon, cum sit idem prorsus cum Aequinoctiali, nullo modo eum fecerit, quare nec ad rectos, nec ad obliquos angulos; tamen alter polarum ipsis maxime extollitur, alter vero maxime deprimitur; Vnde ex hac parte maxime obliquam sphæram habere censendi erunt. Non desunt tamen, qui eos